



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIBRIS|| EXPLICATA.||


Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Praefatio In Libros De Summo Pontifice, Habita In Gymnasio Romano, anno
[M]. [D]. LXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)



PRAEFATIO

IN LIBROS DE
SUMMO PONTIFICE,
HABITA IN GYMNASIO

Romano, anno cdo. Io. Lxxvii.



*ANTE QVAM AD DIS-
putationem de Pontifice ma-
ximo aggrediamur, pauca qua-
dam praemittenda esse censui.
Primum de utilitate & ma-
gnitudine instituta disputationis: Deinde de iis
qui Romanum primatum scriptis libris oppugna-
re, veletiam è contrario propugnare, ab exordio
Ecclesiae usque ad nostra tempora studuerunt: Po-
stremò de ratione & ordine, quo praesens Contro-
uersia, qua necessariò longissima futura est, à no-
bis tractanda atque explicanda sit.*

*Et quidem quaestionis de Pontifice magnitu-
do atque utilitas ex duobus potissimùm intelli-
getur: ex magnitudine rei, de qua agitur, quae
in dubium reuocatur, & ex multitudine & con-
tentio-*

tentione aduersariorum. etenim de qua re agitur, cum de primatu Pontificis agitur? breuissimè dicam, de summâ rei Christianæ. Id enim queritur, debeat ne Ecclesia diutius consistere, an verò dissolui & concidere. Quid enim aliud est querere, an oporteat ab ædificio fundamentum remouere, à grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput à corpore, quàm, an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus iacere?

Porro aduersarij, id est, heretici, cum in alijs ferè dogmatibus non minus inter se, quàm à nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conueniunt, ut totis viribus, summaq; animi contentione Romani Pontificis sedem oppugnent. nulli fuerunt vnquam hostes Christi atque Ecclesiæ, qui simul cum hac sede bellum non gesserint. Quæ duo mihi Isaias Propheta longè antè prouidisse ac prædixisse videtur. Rei quidem magnitudinem & utilitatem, cum ait: Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamēto fundatum. Hereticorum verò contentionem & impetum, cum hunc ipsum lapidem: Lapidem offensionis, & petram scandali esse dicit. Quæ posteriora verba etsi ab Isaiâ non eodem loco posita

Es. XXVIII. 16.

Greg. Magnus Ep. l. 6. ep. 7 reprehendit quosdam episcopos, q in ordi-
nate Glicii episcopi clamaverat: Hic dicit quam ferit Dominus. Ipse
P R A E F A T I O. qui pro fortitudine constructionis
Lapis, pro illuminationis gratia

sita sunt, quo priora (hac enim cap. 8. illa cap. 28. adpellantur et dicitur
continentur) tamen Apostolus Paulus ad Rom. 9. ^{q. etiam facty ep. q. q.}
& Apostolus Petrus in epist. priore, cap. 2. ita hac ^{incarnatoy ep. In qu}
omnia Propheta verba copularunt, ut nemini ^{exultantia h. latini}
dubium esse possit, quin ad eundem finem, idemq; ^{scipimur: q. ex-}
propositum referantur. & quanquam haec verba ^{boni nostri bene-}
in Christum praecipue convenire non ignoramus, ^{brar sua virtutis}
eadem tamen non inepte in Christi vicarium qua- ^{hac, in nobis su-}
drare censemus. ^{perant. In cre-}
^{atam laudem}
^{noy illa dari non}
^{debit, quod soli conuenit creatori.}

Quae sunt igitur fundamenta Sion? Explicat
hoc Apostolus Ioannes in Apocalypsi: Describens
enim huius eiusdem sanctae Ciuitatis partes om-
nes, atq; ornamenta, inter cetera sic ait: Et mu-
rus ciuitatis habens fundamēta duodecim,
& in ipsis duodecim nomina duodecim A-
postolorum Agni. Fundamenta ergo Sion A-
postoli sunt: in his numeratur, & excellit singu-
laris quidam lapis: Ecce, inquit, ponam in fun-
damentis Sion lapidem. Quis iste lapis sit, ne-
mo ignorat qui Euangelium legit. Cum enim ex
Apostolis duodecim vnus diceretur Simon; Do-
minus ei nomen mutauit, & pro Simone Petrum
dici voluit, petram inquam: siquidem lingua Sy-
rorum, qua Dominus sine dubio utebatur, nihil
aliud Cephas, quam petram significat. Ait igitur
illi Dominus: Tu es Simon, tu vocaberis Ce-
phas,

Apoc. XXI. 14.

phas, id est, petra, siue, ut nos Latini commodius dicimus, Petrus. Et rursus alio loco: Tu es Petrus, siue, tu es petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Ecce vobis lapidem in fundamentis Sion. Sed qualem lapidem putatis? Lapidem, inquit, probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum.

lapis probatus.

Lapidem probatum. Siquidem omni genere probationis tentata est hæc petra, omnes porta inferorum in eam impetum fecerunt.

Ac, ut omittam persecutiones Iudæorum atq; Ethnicorum, quæ huic sedi cum reliqua Ecclesia communes fuerunt: certè in primis hæretici permulti non semel neq; bis, sed frequentissimè renouatis exercitibus cum hac sede aperto Marte cõflicxerunt. Deinde Græcorum emulatio ac superbia non antè destitit cum hac sede bellum gerere, quàm ipsi à Turcarum Imperatore oppressi religionem quoq; cum dignitate amiserunt. Tum Imperatores potentissimi & Christiani, & quod maius est, sub nomine religionis & pietatis, hanc ipsam sedem, vnde ad eos Imperij Romani sceptraperuenerant, deiicere atque euertere sape conati sunt.

Nec enim ignoratis quas tragædias in Ecclesia Henricus IV. Henricus V. Otho IV. Fridericus

cus II. aliq̄ nonnulli diuersis temporibus exci-
târint. Et quasi hæc parua fuissent, addidit Sa-
tan Romanum populum contra Pontifices com-
mouere. Exstat adhuc B. Bernardi epistola gra-
uissima ad senatum populumq̄ Romanum, qua se-
ditionem eorum contra Eugenium Papam à Dia-
bulo concitatam, sedare conatur. Eiusmodi verò
seditiones turbulentissima & perniciosissima, at-
que ad Romanum Pontificem perdendum aptis-
sime, aliquot, non diebus, neque mensibus, sed an-
nis immò & seculis durauerunt.

Huc accesserunt schismata grauissima, & plu-
rima ipsorum inter se Romanorum Pontificum,
quibus non potuisset vlllo modo nõ cedere, & tan-
dem labefactari ac destrui Petri sedes, si non pe-
tra esset firmissima, ac probatissima, & ab illo in-
fundamentis Sion constituta, qui ait: Et portæ
infernæ non præualebunt aduersus eam. Ac
ne fortè putaremus, ob vitam incorruptam, &
mores integerrimos summorum Pontificum, tam
diu stetisse hanc sedem: permisit ad extremum
Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices
aliquãdo hanc sedem tenerent & regerent. Qua-
les sanè fuerunt Stephanus VI. qualis Leo V. Chri-
stophorus I. Sergius III. Ioannes XII. aliq̄ non
pauci, si vera sunt, quæ de eorum vita & rebus
gestis

Improb. Pontif.

(red. uade, ~~lib. 14.~~ ex his, de rerum ^{gestis} ueritate, nobis ^{consulat})
P R Æ F A T I O.
gestis apud Historicos eorum temporum scripta
leguntur.

Itaque nihil est, quod heretici tantum labo-
rent in quorundam Pontificum vitis conquiren-
dis. Nos enim agnoscimus & fatemur, ea fuisse
non pauca: sed tantum abest, ut iis gloria huius
sedis obscuretur, vel minuatur, ut iisdem potius
vehementer crescat & amplificetur. Hinc enim
intelligimus, non humano consilio, prudentia,
viribus, Romanum pontificatum tam diu consi-
stere, sed quia hæc petra ita à Domino roborata,
diuinitus fundata, Angelorū custodiis septa, sin-
gulari Dei prouidentia, & protectione munita
est, ut aduersus eam porta inferorum nullo modo
prauales possint, siue illis portis persequutio Ty-
rannorum, siue rabies hereticorum, siue schisma-
ticorum furor, siue scelera & flagitia designentur.
Lapidem ergo probatum posuit Deus in funda-
mentis Sion; nec solum probatum, sed etiam an-
gulari, qui duos parietes connectat. quod mihi
videtur ad demonstrandum discrimen inter Pon-
tificem Christianorū & Iudeorum esse positum.
Ille enim lapis quidem & fundamentum erat, sed
non lapis angularis. Nec enim parietes duos, sed
unum tantum sustentabat. at noster lapis angu-
laris est; nam & Iudæi, & Gentes, quasi parietes
duo

lapis angularis

duo simul coniuncti, atq; unam Christianam Ecclesiam facientes, ab hoc vno angulari lapide continentur.

Addit Isaias, & Preciosum. Quo vno verbo infinitus bonorum thesaurus significatus est, qui à Petri sede in omnem Ecclesiam copiosissimè atq; uberrimè deriuatur. Vnde enim ad Germaniam, Galliam, Angliam, aliasq; remotissimas prouincias missi sunt, qui Euangelium prædicarent, nisi ab hac sede? Vbinam Episcopi de suis sedibus pulsati, totoq; orbe profugi, vt Athanasius quondam & Petrus Alexandrini, Paulus & Chrysostomus Cõstantinopolitani, auxilium & refugium inueniunt, nisi in hac sede? Vnde dogmatum explicationem, ritus Sacramentorum, indulgentiarum communicationem habemus, nisi ab hac sede?

Vnde, vt cetera prætermittam, quæ nimis longum esset enumerare, consensio in doctrina, vinculum pacis, unitas fidei, quæ est ipsa salus, & vita religionis, nisi ab hac sede? Alioqui enim, cur heretici nostri temporis, cum satis multas & amplas prouincias obtineant, Angliam, Scotiam, Daniam, Noruegiam, Sueciam, & Germaniæ, Polonia, Boemia, Hungariæ, non exiguam partem, nunquam adhuc vnũ Generale Concilium, in quo vel de vno articulo omnes conuenirent, cogere potuerunt? Cur etiam Græci ab anno DCCC. quo
 bb à sede

à sede Petri, Romanaq; Ecclesia discesserunt, per alios totos fermè DCCC. annos ne vnã quidem Synodum celebrauerunt in argumentum mutua per ipsos consensionis, & pacis? Cùm nos è contrario ab eo tempore circiter decem Concilia Generalia eaq; frequentissima habuerimus, quorum postremum est hoc ipso tempore, quo Lutherani inter se acerrimè digladiantur, & de concordia planè desperant, summa Patrum consensione celebratum. Quæ potest esse huius tanta differentia ratio, nisi quod illi eo duce ac rectore carent, qui solus potest ac debet fratres omnes in fide confirmare, & Ecclesiam vniuersam in vnitateretinerè?

Addit postremò idem Propheta: In fundamento fundatum. Quid est enim in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primarium? Siquidem primũ ac præcipuum Ecclesie fundamentum non ignoramus esse Christum, de quo Apostolus ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. At post Christũ, fundamentum est Petrus, & nisi per Petrum nõ peruenitur ad Christum. Iactent licet hæretici Christum, eiusq; verbum ac doctrinam sequi se gloriètur, necesse tamen est, ut inquit Magnus Leo in
epistola

epistola ad Episcopos Viennensis prouincia, exortem mysterij illum esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere.

Est igitur Petri sedes lapis probatus, angularis, preciosus, in fundamento fundatus. & id quidem nobis. At verò aduersariis nostris hereticis nihil est aliud, quàm lapis offensionis, & petra scandali. Cùm enim deberent se super eam adificare in templum sanctum in Domino, illi contrà, ut verè caci atq; furentes in eam impingunt. Displicet enim humanæ sapientiæ, displicet superbiæ eorum, qui in oculis suis prudentes sunt, ut vnus mortalis, quo, nec eruditione, nec probitate, nec vlla alia ratione inferiores se iudicant, fundamentum dicatur Ecclesiæ, super quod tantum, tam ingens, tam sublime, tam immensum adificium collocetur. Propterea verò eis hoc displicet, quia non intelligunt, quàm sit Deo non solum facile, sed etiam gloriosum infirma eligere, ut confundat fortia. Nec animaduertunt hanc esse Dei consuetudinem, ut per fidem & humilitatem, ad sapientiam & gloriam nos deducat.

Sic nimirum constituit, per stultitiam predicationis crucifixi, saluos facere credentes: sic piscatores elegit, ut conuerteret Imperatores: sic rebus abiectis, ac vilibus aqua, oleo, panis, viniq; speciebus Sacramentorum virtutes, & infinitos

donorum cœlestium thesauros alligauit: ut dum fide & humilitate rebus illis abiectis subiiciamur, ad sortem filiorum Dei, & ad ipsius diuinæ naturæ consortium euehamur. Sed illi ad hæc omnia oculos claudunt, & solum contra salutarem petram, contraq; Dei consiliū insanire, & debacchari non cessant, ut verè sit illis lapis offensionis & petra scandali. Hanc enim sedem Donatistæ quondam *cathedram pestilentie nominabant*: huius sedis Pontificem BERENGARIUS *Pompificem atq; Pulpificem* vocitabat: hanc VV ALDENSES *purpuratam meretricem*: hanc Ioannes VVICLEF *Satanæ synagogam*: hanc Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, *Antichristi solium* esse contēdunt. Et cum à nobis in plurimis aliis rebus dissideant, tamen hinc nobis solum nomen imponere voluerunt. Nec enim aliud, quàm Papistas nos vocant, quasi vel solum vel præcipuè in summo Pontifice tūendo errare nos arbitrentur. Neque putant se maiori contumelia aliquem afficere posse, quàm si eum nominent Papam. Quin etiam è contrario loca omnia cœnosa ac sordida, & quidquid turpe ac fœdum in rerum natura reperitur, Papæ vocabulo appellare cœperunt.

Denique is est LV THERI atq; CALVINI, eorumq; similium in Pontificem animus, ut cum de aliis rebus omnibus mordaciter ac petulāter scribant,

bant, in Pontifice summo vexando, & probris, calumniis, conuitiis onerando, furiis agitari, & malo Damone pleni esse, vel potius hominē exuisse, ac Damonem induisse videantur. Ceterum quia ipsi, velint, nolint, lutei fragileſq; sunt, summus verò pontificatus petra firmissima est, non ipsi, dum apud hanc sedem offendunt, eam confringent, sed ab ea potius sine dubio conterentur. Qui ceciderit, ait Dominus, super lapidem hunc, confringetur; super quem verò lapis ceciderit, conteret eum. Et Magnus Leo loco antè notato: Quisquis (inquit) huic sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbix suę, semetipsum in inferna demergit.

Vt enim ingens aliquis scopulus, qui in medio mari super undas ac fluctus eminent, non deiicitur unquam, nec mouetur, licet indentidem vectorū flatus marisq; fluctus magno impetu in eum incurrant; sed eos potius omnes soluit ac frangit: sic Petri sedes toties iam ab Iudæis, ethnicis, hæreticis, seditiosis, schismaticis, incredibili furore pulsata, illis ferè omnibus, vel cõsumptis, vel subactis, vel prostratis, supra mille & quingentos annos stat immota: & semper (vt S. Augustinus ait) frustra circumlatrantibus hæreticis, culmen au-

etoritatis obtinuit. Quæ cum ita sint, vides, ni fallor, eius controuersie magnitudinem, qua nobis ad explicandum proposita est.

Venio nunc ad id, quod secundo loco posuimus. PRIM I, qui serio primatum Rom. Pontificis oppugnarunt, videntur fuisse Græci; Ipsi enim iam inde ab anno Domini CCC. LXXXI. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem erat, tribus Patriarchis Orientis antepone-re, & secundum à Rom. Pontifice facere voluerunt. Id intelligi potest ex Concilio II. Generali, can. 5. Deinde anno CCCC. LI. eo Græci non contenti, eum Episcopum Constantinopolitanum Rom. Pontifici parem efficere conati sunt. Nam in Synodo Chalcedonensi, act. 16. definiunt Græci Patres, non tamen sine fraude, & absentibus legatis Romanis, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, ut tamē habeat æqualia priuilegia. Neq; hoc etiam contenti, temporibus S. Gregorij, ac prædecessoris eius Pelagij, eius nominis secundi, circiter annum DC. Episcopum Constantinopolitanum, OEcumenicum, id est, orbis terræ siue vniuersalem Episcopum appellare cæperunt. cuius rei testis est ipse S. Gregorius in epist. quas multas breui tempore de hac caussa scripsit ad Ioan. Episcopum Constantinopolit. ad Imperatorem Mauritium, ad Imperatricem

tricem

tricem Constantiam, ad Patriarchas ceteros Orientis.

Deniq³ anno M. LIV. aperte pronuntiarunt Rom. Episcopum propter additionem particulae, *FILIO QVE*, ad Symbolum Constantinop. ex sententia Synodi Ephesinae, quæ id prohibuerat, de suo gradu excidisse, & iam summum ac primum Episcoporum omnium esse Pontificem Constantinop. Refert id Sigebertus in Chronico, & alioqui ex epistolis Leonis IX. satis aperte colligitur. Exstat etiam libellus Græcè scriptus à Nilo Thessalonica Archiepiscopo aduersus primatum Romani Pontificis, quem nuper Illyricus ex nescio quibus latebris productū ad lucem, Latinitate donauit.

Ex Latinis primi sunt *VVALDENSES*, qui se ab obedientia Rom. Pontificis subtraxerunt; Exorti sunt autem *VValdenses* Anno M. C. LXX. ut Reynerius scribit, qui ante annos CCC. floruit. Anno deinde M. CCC. Matthæo Palmerio teste in Chronico, exstiterūt quidam, q³ *FRATICELLI* dicebantur, qui præter alios errores hunc etiā habuerunt, Petri auctoritatem in Romana Ecclesia iam dudum cessasse; atq³ ad sectam Fraticellorum esse translata. Vide Ioannem de Turrecremata lib. 4. de Eccles. par. 2. cap. 37. Non diu post, eodē Ioan. de Turrecremata teste, exstitere *MARSILIVS* Paduanus, & Ioannes de *LANDVNO*, qui

Romano Pontifici nō modò Episcopos omnes, sed omnes etiam Presbyteros pares fecerunt.

Deinde circiter annum Domini M. CCC. XC. exortus est Ioannes VVICLEF, & eum sequutus est Ioannes Hus, quorum sententiæ aduersus Apostolicam sedem legi possunt in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15.

Ad extremum nostro hoc seculo MARTINVS LVTHERVVS, & quotquot post eū heretici apparuerunt, Rom. pontificatum totis viribus omniq; animi contentione labefactare conati sunt. Ac summa quidē doctrina ipsorum hæc est, Romanū Episcopū fuisse aliquādo Pastorem & Concionatorem Ecclesiæ Romanæ, atq; vnum de ceteris, nō supra ceteros: nunc verò nihil esse aliud quā Antichristum. Vide Lutherum in libro de potestate Papæ, & in assert. art. 25. Philippū Melanchthonem (si tamē ipse est libri auctor) in lib. de potestate & primatu Papæ, seu de regno Antichristi, nomine Synodi Smalcaldensis conscripto. Ioannem Calvinum 4. lib. Instit. cap. 6. & seq. Ioannem Brentium in confessione VVirtemberg. cap. de summo Pontifice, & in Prolegomenis aduersus Petrum à Soto. Matthiam Illyricum in Centuria prima lib. 2. cap. 7. col. 524. & seq. & cap. 10. col. 558. & sequent. ac deinceps in singulis Centuriis, cap. 7. item in lib. de primatu Papæ; & in altero

*Lutherus in libro
de potestate papæ
Ju. Melanchthonem*

altero de historia concertationis Papæ, & Conci-
lij V I. Carthaginensis.

Iam verò qui pro summi Pontificis auctori-
te scripserunt, ex omnibus nationibus multi re-
periuntur. sed ne aliquis fortè queratur se præter-
missum, profiteor me non omnes enumeraturum,
sed eos tantùm, qui ad manus meas peruenire
potuerunt. Ex P O L O N I A unum habemus, sed
qui instar multorum esse possit, H O S I V M vide-
licet Cardinalem, cùm in explicatione Symboli,
cap. 26. tum in lib. 2. contra Brentium, tum in
lib. de auctōritate summi Pontificis.

Ex G A L L I A duos habemus: Remundum
R Y F F V M in libro aduersus Carolum Moli-
neum, pro summo Pontifice; & Robertum Ar-
boricensem, in primo tomo de vtriusque gladij
potestate.

Ex G E R M A N I A quinque: Ioannem E-
C K H I V M in libris tribus de primatu S. Petri;
Ioannem Fabrum in refutatione libri Lutheri,
de Pontificis potestate; Ioannem Cochlaum, in
4. Philippica; Gassarem Schatzgerum, in con-
trouersis; Conradum Clingium, lib. 3. de locis
communibus.

Ex inferiori Germanica sex: Ioannem D R I E-
D O N E M lib. 4. cap. 3. par. 2. de Scripturis & Do-
gmat. Eccles. Albertum Pighium lib. 3. 4. & 5.
bb 5 Eccles.

Eccles. hierarch. Ioannem à Louanio de perpetua cathedra Petri protectione & firmitate; Iacobum Latomum lib. de primatu Petri; Gulielmum Lindanum lib. 4. panoplia; Ioannem Bunderium in compendio Concertationum, tit. 31.

EX ANGLIA sex: Thomam WALDENSEM lib. 2. doctrinalis fidei, art. 1. & 3. Ioannem ROFFENSEM in refut. art. 25. Reginaldum Polum lib. de summo Pontifice, & lib. 1. & 2. ad Regem Henricum, Alanum Copum Dialogo 1. Nicolaum Sanderum in libris de visibili Monarchia; Thomam Stapletonum li. 6. Controuersiarum.

EX HISPANIA sex: Ioannem de TURRECREMATA lib. 2. de Ecclesia; Alphonsum de Castro lib. 12. contra her. Melchiorum Canum lib. 6. de locis; Petrum de Soto in defensione sua confessionis, à cap. 74. usque ad finem; Franciscum Horantium lib. 6. de locis Catholicis; Franciscum Turrianum in libris contra Antonium Sadeelem.

EX ITALIA octo: D. THOMAM in opusc. contra Græcos; B. Augustinum Triumphum Anconitanum in summa de potestate Papæ; B. Antoninum 3. par. tit. 22. summæ Theologia, Thomam Caietanum de institutione & auctoritate Romani Pontificis; Gasparem Contarenum de potestate Romani Pontificis; Thomam Campegium in li-
bro

bro eiusdem tituli; Ioannem Antonium Delphinum lib. I. & 2. de Ecclesia.

EX GRÆCIA UNUM: GENNADIUM Scholarium in defensione capituli quinti.

Quod autem attinet ad ordinem & dispositionem: Proposita disputatio duas habet partes precipuas: Vnam de institutione summi Pontificatus, siue Ecclesiasticæ Monarchiæ: Alteram de summi Pontificis officio & potestate. Ac parte quidem priore sex Quæstiones continentur.

PRIMA, Sitne Monarchia optimum regimen?

SECUNDA, Num regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum?

TERTIA, Fueritne S. Petrus primus Ecclesiæ Catholicæ spiritualis Monarcha?

QUARTA, Num idem B. Petrus Romam venerit, atque ibidem Pontificalem sedem perpetuò mansuram constituerit?

QUINTA, Succedatne S. Petro Romanus Episcopus, non solum in Episcopatu Romano, sed etiam in vniuersæ Ecclesiæ Principatu? Ad quam Quæstionem quedam etiam alia reuocabuntur, quæ cum ea ita coniunctæ sunt, ut seiungi nullo modo possint. ut, de Appellationibus ex toto orbe terrarum audiendis; de instituendis, confirmandis, transferendis, puniendis etiam & ab officio remo-

remouendis Episcopis; & alia nonnulla generis eiusdem.

S E X T A, Num idem Romanus Episcopus ex Vicario Christi in Antichristum aliquando transierit?

Iam verò posterior Controuersia pars sex alias Questiones complectitur.

P R I M A, Sitne Romani Pontificis statuere de controuersis fidei, & morum?

S E C V N D A, An in eo iudicio errare possit?

T E R T I A, Possitne summus Pontifex leges condere, quæ hominum conscientias verè ligent, & simul animaduertere in præuaticatores?

Q V A R T A, An sit Ecclesiastica iurisdictio soli Pontifici summo à Christo ita commissa, ut non nisi per eum ad ceteros deriuetur?

Q V I N T A, An præter spiritalem iurisdictionem habeat idem Pontifex temporalem aliquam potestatem; ea ratione, qua Pontifex est?

S E X T A, An possit habere, ac re ipsa habeat, Principum donatione, imperium aliquod temporale in certas prouincias, aut regiones?



LIBER